

1881

H O M I L E T I C I.

1882

tibi sit criste quoniam liber explicat iste. Adjectus Index *ὁμωνοματων* Sermonum exhibet.

II. fol. 305. sequitur, ut jam in fronte Codicis post *Gilbertum* adnotatur: *opus iohannis Gallensis quod adpellatur summa collectionum seu breuiloquium.* Observavi jam ad alterum Exemplar, quod hoc *Vol.* inter Codices *Dogmaticos* occurrit, varios hujus Operis ferri Titulos, quos Amanuensium liberalitati, ut videtur, debemus. Sed nos ipsum Autorem audiamus, qui ita orditur: *Cum collectionis huius que potest dici summa collectionum &c.* In Exemplo *cit.* additur: *sive communoquium*, quod hic deest, et fortassis etiam tantum irrepit. Ceterum *Breuiloquium* in Titulo nostro manifestus est Librarii error; ita enim aliud *Wallensis* Opusculum inscribitur, ut testantur Literatores ad Codicem *cit.* a me adducti, quem, si lubet, adi. In praesenti adjectus est praecipuarum materiarum Elenchus.

DCCLXXXV.

R. 3100 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 216. 4. per duas columnas non una manu, et parte quidem priore melius exaratus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij Sancte Dorothee in Vienna* aliud est *Gilberti Tornacensis* Exemplar ejusdem cum superiore rationis, nisi quod ad calcem primum *Tabulam Distinctionum* seu Rerum praecipuarum ordine alphabetico habet, dein *Rubricas*,

five Titulos CCXI. Sermonum cum singulorum Initiis.

DCCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 201 ineuntis Folior. 305. 4. a fol. 192. alterius manus rubricis enotatus, continet *Simonis de Cremona O. Erem. S. Aug. Oratoris* Sec. XIV. percelebris *Sermones super Epistolis omnium Dominicarum*, five *Postillarum* Partem II. Prior enim est *super Evangeliiis*. Pars utraque mihi objacet impressa simul *Reutlingae* 1484. f. Utramque inscripsit Autor Fratri suo germano *Antonio*, et nostram quidem ita: *Frater symon de cremona ordinis fratrum Heremitarum sancti augustini viro magne honestatis, maioris caritatis (castitatis?) maxime castitatis (caritatis?) p. antonio eiusdem ciuitatis salutem et osculum pacis.* Et mox: *licet enim vester sim germanus &c.* *Sermonibus* LII. a Dom. I. *Adv.* usque ad Dom. XXIV. post. *Pentec.* constat Opus, et sequente gaudet clausula: *Explicit opus predicabile ad populum super epistolas dominicales compilatum per fratrem symonem de Cremona ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini Scriptum pro parte (posteriore) per me fratrem Nycolaum Muczbas ordinis fratrum predicatorum Anno Domini M. CCCCII. et finitum in die sancti alexij confessoris.* Sequitur Index. De *Simone*, ceterisque ejus Scriptis adi, si lubet, *Ossingeri Bibliothecam Augustin.* p. 275.

G 2

DCC.

1883

C O D I C E S

1884

DCCLXXXVII.

U. 46 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. per duas columnas a variis exaratus et rubricis distinctus, potissimam partem *Homileticus* est de Tempore et SS. Indicemque Sermonum in Theca postica adjectum habet. Sunt tamen quaedam peculiariter indicanda. *Fol. 3. Incipit Quadragesimale Abbatis. Sermo I. in die Cinerum*, in illud: *Cum jejunatis, nolite fieri &c. Matth. 6. Sicut apparet ex multiplici experimento et philosophus hoc testatur &c.* Pertingunt usque ad *Fer. III. Pasch. hi Sermones*, finitque postremus: *fructus mei honoris et honestatis, ad quos perducatur &c.* Sequitur Tabula, sed ante eam legitur: *Explicit postilla XLe fratris philippi de abbate*; quo Librarii errore innui censeo *Philippum* e Monacho *Eberbac. Ord. Cist. Abbatem Otterburgensem* in Palatinatu infer. qui exeunte Sec. XIV. reliquit *Volumina II. Concionum de Tempore et de SS. a Carolo Vischio Eberbaci* non semel visa, ut ipse testatur in *Bibl. Scriptt. Ord. Cist. p. 280.* Sed virum *Trithemius* in *Scriptt. germ.*

ad an. 1220. removet, dum illum *Possevinus Adpar. sac. T. II. a. 1430.* vixisse ait. Componant litem *Chronographi Ordinis. Ad calcem Tabulae* notatur: *Qui me scribebat, frater Johannes de Velsperch nomen habebat. Fol. 135.* sequitur *Adventuale*, cujus initium: *Nota quod due sunt cause que coegerunt christum venire &c.* Pertingit usque ad *Dom. I. post Epiph. et videtur ad eundem Philippum* referri posse. In *Sermone Dom. I. Adv. fol. 142.* habetur: *Frater quidam ordinis nostri Rudolfus nomine magnam scientiam habens et nichil docens, cum iam esset in extremis fratribus presentibus ait. Audiui vocem dicentem mihi. Rudolfe plurima sciisti et parum docuisti.* Narrat *Vischius l. cit. magistrum Philippi Parisii* fuisse *Rudolphum Eccl. Colon. Scholasticum.* Verum an hic deinceps *Monachum* induit, ut *Philippus?* Finit *Sermo ult. in gradum festinum (pristinum) restituitur.* Unde bene subjecit *Librarius: Hæc male finiui quia non bene scribere sciui. Fol. 171.* praevio *Aenigmate de Anno et Panno*, quod emendatum sic restituo:

Est quiddam sine P. cui servit noxque diesque.

Si P. addideris, facies tunicam tibi, si vis.

Incipit scyntillarius venerabilis Bede presbiteri. Praeloquium ita orditur: Propicio christo fratres karissimi ita lectionem diuinam audo et scienti corde semper excipiatis &c. Est hic inter *Sermones ad*

Fratres in Eremito LVI. T. VI. Opp. Augustini append. col. 366. quem *Librarii industria Scintillis* praefixit; *Scintillae* vero ipsae habentur *Opp. Bedae Colon. 1688. T. VII. col. 370. f. Capiti XXXI. de*